



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Hermenegildvs M. 13. Aprilis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

subsellia magnâ dicendi libertate tutatus, illud impetravit, ut Christiani deinceps, nisi maleficii convicti essent, innoxii viverent. Nobilis ingenii monumentum hodieque legitur; gloriaque est bonis literis hanc piam operam Christo Romæ impendisse, ubi melior nunquam causa acta est, etsi optimo ejus Patrono sanguine sterit. Nam cum crescentem vitâ & disciplinâ Cynicum, ignorantiam hominis multoque magis caninam impudentiam offensus, publicis congressibus vicisset, ea res scilicet canem illum ad vindictam inflammavit. Nulla ratio perdendi Iustini aptior visa, quam si ut Christianum allatrasset. Exosum id nomen iterum esse coeperat & capitale. Ergo structæ D. Iustino insidiae haud sanè nolenti; captus rogatusque Christianusne esset; affirmavit. desereretne sua sacra; renuit. mortem subiret; voluit; id Christo mortalium severo judici gratum, sibi utilissimum fore affirmans; ac mox cervice securi subjectâ, vitam perdidit, perditurus, nisi perdidisset. *Ex Surio & Baron.*

S. HERMENE GILDVS M.

13. Aprilis.

O Stendi HERMENE GILDVS, quando tandem negare obedientiam parentibus, etiam cælo arridente, liceat. Cùm enim patrem haberet Leovigildum

vigildum Wisigothorum Regem, & he-
 resi Arrianæ oppidò addictum, ipse sa-
 niorē fidem à Prasule Leandro didi-
 cit. Sed veritas etiā apud parentem
 odium peperit. Hic enim cū laudibus
 debuisset, ferro filium oneravit, & anno
 libertatis Christianæ DLXXXIV. in car-
 cerem dedit. HERMENEGILDVS, ut
 monstraret, quā non pensi regnū ha-
 beret, humanis rebus omnibus se abdi-
 cavit, purpuram cum cilicio mutavit,
 tempus omne inter vota ac supplicia
 transegit, demum è carcere templum
 fecit. Subinde ipsā sacri Pascharis nocte
 captivum à parēte subornatus Pseudo-
 episcopus adit, & ad sacerrimā scilicet
 mensam invitat: sed HERMENEGIL-
 DVS fidenter negat se in potestate fu-
 turum, etiā in vinculis Catholicæ li-
 bertatis memor. Eapropter irā succen-
 sus Leovigildus, cum religione patrem
 etiā exiit, ejusq; imperio cadit filius
 securi caput diminutus, pulcherrima
 Paschæ victima, sed non à parente dan-
 da. Caterum Martyrem continuo è ca-
 lo voces laudarunt, & delapsæ indidem
 lampades exornarunt. Mox etiā piis
 manibus parens impius morte suā pa-
 rentavit, adductis post ad Catholicam
 Fidem omnibus Wisigothis. Ita pietas
 quam decollasse in HERMENEGIL-
 DO impia hæresis putavit, toto regnò
 caput extulit. *Ex S. Greg. M. l. 3. Dial.*